

gustinum in catalogo hæret. 1. Inter hos forte fuerint *Dositheani, Gortheni, Marbothei, Adrianistæ, Eutichistæ, Canistæ*, quos ex hac amarissima radice exortos fuisse tradit Theodoretus hæret. fabb. in fine hæreseos Simonis. Tandem tibiam inflavit Menander. Nihil enim, teste Epiphano, hæresi 22. *de doctrina Simonis variabat, quam id solum, quod se ipsum majorem præceptore jactabat, & teste Irenæo l. 1. c. 21. docebat; Resurrectionem per id, quod est in eum, baptisma, accipere ejus discipulos, & ultra non posse mori.* Ita Diabolicæ fuit solertiæ, ut cum Nicephoro loquar, l. 3. c. 12. in fine: *Pertales magos, qui Christianorum sibi, prætextus gratia, nomen sumfissent, ecclesiastica, de animarum immortalitate, & mortuorum resurrectione, dogmata traducere, atque evertere.*

§. II.

Menandrum excepere discipuli ejus teste Nicephoro l. 4. c. 2. Saturninus five Saturnillus & Basilides, quem Epiphanius in fine hæres. 23. condiscipulum & coërronem Saturnili vocat. *Basilides negavit carnis resurrectionem, ait Theodoretus hæret. fabb. ejusque filius ISIDORUS cum aliquo additamento Patris fabulosa commenta confirmavit.* Basilides juxta Tertullianum de hæresibus *carnis resurrectionem graviter impugnavit, Conf. idem de præscript. lib. 2. c. 46.* Saturninus vero apud Tertull. de hæresi docuit CARNIS resurrectionem nullo modo futuram. De anima tamen hominis teste Theodoro sentit: *Divinam potentiam vitæ scintillam immisisse corpori, eamq; post vitæ dissolutionem reverti ad potentiam, quæ illam miserat.* CARPOCRAS ut vocatur Epiphano hæresi 27. sive Carpocrates *resurrectionem corporis simul cum lege abjiciebat, ut habet Augustinus de hæresi n. 7. illud ut evinceret, docente Tertulliano, statuit: solam animam Christi (non corpus) in cælo receptam, quæ colligeret, tentatâ animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones.* VALENTINUS porro apud Tertull. de hæres. *resurrectionem carnis hujus negavit.* Et post eum Ptolemæus & Secundus hæretici. Heracleon etiam paria cum Valentino sensit, licet novitate quadam pronunciationis alia sentire videri voluerit. De eodẽ Valentino, quomodo carnis resurrectione negatâ animam tantum & Spiritum per Christum salvari affirmaverit vid. Augustinus hæres. 11. & conf. Cyprianus expositione in Symbolum Apostolicum. Huc referendi Bardesanes & Bardesanistæ apud Augustinum hæresi 35. & Marcus apud eundem hæresi 18. Tertullianus de hæresi
Marco